Genealogia Frithiofiana;

quam

Consentiente Amplissimo Philos. Ord. Lundensi,

PRÆSIDE

L. G. PALMQVIST,

Histor. Adj. Ord. et Mus. Hist. Subpræfect.

p. p.

CARL OSCAR ALMQVIST,

Smolandus.

In Academia Carolina die XX Dec. MDCCCXXXI.

P. III.

LONDINI GOTHORUM MDCCCXXXI.

Typis BERLINGIANIS.

Theologiæ Doctorn, Contracts-Prosten och Ledamoten

af Kongl. Nordstjerne Orden

Herr Mag:r SVEN JOH. ALMQVIST,

samt

Fru Doctorinnan GUSTAVA ALMQVIST,

född BRANDELIUS;

De Huldaste Föräldrar

Helgadt

af

Sonlig tacksamhet.

CARL OSCAR.

inciderent. Illi sicut ceteris piratis conditiones aut omnia, quæ haberet, relinquendi, aut certandi offerunt. Hanc Niorfius eligit, et tres dies ita pugnatum est, ut quo inclinaret victoria, nemo scire videretur. Pari enim numero navium, licet socii plures haberent, utrobique certarunt. Hinc Vikingus, ut a pugnando desisterent societatemque inirent, proposuit, quod utrumque, titulo regis Niorfio reservato comitisque Vikingo, factum est. Haud ita multo post Hunvora, filio Ringo, avo ejusdem nominis in regimen succedente, relicto, e vita decessit. Magna quidem ab hoc filio progenies oriunda, quæ tamen in hac historia non describitur. Jam ad Ingialdum revertamur.

Hunc pugilem ex vinculis effugisse, supra animadvertimus. Tempus, quod in expeditionibus socii conterebant maritimis, ille in copiis comparandis consumserat; quo facto, Vikingum cum sociis per maria ubique investigavit. In mari Baltico, ubi ardens inter eos exorta est pugna, conveniunt, quæ, horribili militum strage facta & speciminibus animi intrepidi viriumque maximarum utrinque datis, cum morte Ingialdi finita est. 17) Huic ultimo prœlio, si a dimicatione, de qua infra, cum Jokule discesseris, Vikingus interfuisse dicitur.

§. IV.

De matrimonio Vikingi filiisque ejus et Niorfii.

Socii inde aquilonem versus navigantes, ad insulam Thrumam, 18) cui præfuit Refil, filius regis Vefilis seu, ut Torfæo

---

17) In historia Thorsteini hoc certamen more antiquo accuratius describitur. Ad ingenium dexteritatemque Ingialdi ostendendam oculos adversariorum ita decepisse dicitur, ut specie crudelis majalis indutus videretur. Nihilo tamen minus gladio Angurvadile Vikingus isti necem attulit.

18) Hac in insula, hodie Tromöe l. Trymöe dicta & extra litus Agden-

magis placet, Mæfilis, adveniunt. Ille filiam nomine Finnam l. Feimam, non minus pulchritudine quam peritia artium muliebrium insignem, habuit, quam matrimonio secum conjunxit Vikingus. Refil igitur maternus prosapiæ Frithiofianæ auctor. A Gore gradu tertio oriundus sed falso dicitur. Rex quidem Agdensis hoc nomine commemoratur, quæstionem vero, an hic socer censendus sit Vikingi, perdifficile est decidere. Ceterum de illo historia nihil aliud referendum memoriæ prodidit. Nuptiis celebratis, patrias sedes repetunt socii, ubi quod reliquum erat vitæ, a piratica desistentes, in amicitia consumserunt. Vikingus Niorfiii factus est comes. Niorfius, Vikingus et Halfdanus, comitatu etiam donatus, documenta virium suarum fissuram jugi, quod inter Vikingi et Halfdani prædia intercessit, valde latam (secundum historiolam XXX. ulnas), transsiliendo certatim edere consueverunt. Niorfius novem habuit filios, quorum Jökull (mons glacialis) natu & ingenii corporisque viribus erat maximus. Pari quoque numero filiorum gavisus est Vikingus, quorum Thorsteinus, ætate simul & virtutibus præstantissimus fuit. Filii regii, nimio fastu turgidi, alios contemnebant; in ceteris autem ad honestatem se finxerunt. Ex filiis Vikingi, qui omnes optima spe in posterum prælucebant, Thorsteinus, ut jam diximus, ceteros præstitit, Thorer vero ad iracundiam promtus, vehemens & temerarius fuit. In domo paterna ad bonos mores omnes erant conformati 19).

§. V.

De discordiis inter filios Niorfii & Vikingi ortis.

Tempore currente, vires Niorfii & Vikingi consenescunt,

---

se sita, Starkadus, Storvirki filius, natus est. Cfr. Torfæus p. 235 —6. Jonge. p. 186.

19) Ceteri Niorfii filii ordine ætatis hi fuerunt. Olafus, Grimus, Teitus, Tirfingus, Biornus, Granius, Geir & Tokius: Vikingi autem, qui sequuntur: Thorer, Finnus, Ulf, Steinus, Hromundus, Finnbogius, Eysteinus & Thorgeir. Pro Ulfone Torfæus habet Bergum.

amicitiæ autem fœdera ad finem usque vitæ diligenter servata, non minuuntur. Filiorum tamen res se ita non habuit. Regios filios tumidos fuisse & superbos, Thoreremque temerarium & vehementem, supra jam animadvertimus. Hæc utriusque fere familiæ interitus causa fuisse videtur; quamvis enim Vikingus, cum inter filios suos & regios exercitia juvenilia, in quibus illi his erant pares, frequentari animadverteret, suos prudenter admoneret, ut in campum cum iisdem ne congrederentur, sed potius vires ad alia sibi reservarent certamina; tamen factum est, ut pila aliquando ludentibus, liteque exorta, Thorer Olafum interficeret. Hoc cum Vikingus pater tristissimus cognosceret, Thorere acriter reprehenso, Thorsteino vero Angurvadile donato, omnes suos filios in insulam quandam, in lacu Venere sitam, misit, ut vindictam filiorum regiorum effugerent, ibique, donec ira defervesceret, manerent. Quo vero cum annum integrum habitaverant 20), filii Niorfii hoc suffugium detexerunt, 21) magnaque & funesta

---

20) Torfæo hæc naratio valde suspecta videtur, cum terræ mariaque omnia effugio paterent, aulæque regulorum tam intra quam extra Norvegiæ fines fortibus viris abundarent, casam ignobilem, tamquam Caci speluncam aut Polyphemi antrum, exsilio eos sedem elegisse, ubi vitam tristem virisque fortibus indignam transigerent; neque id Vikingi prudentiæ esse consentaneum, neque credendum, dum undique quærebantur, eos ibi diu delituisse. Cfr. P. 1. p. 207. Quod ad hæc attinet, nonnulla haud parvi argumenti, quæ in causa fuerint, cur hoc refugium peterent, observanda sunt. Plures scilicet tam tenella fuerunt ætate, ut moribus ejus sæculi vix credi liceat, iis in ædes regulorum aditus patere. Hoc vero, quod ultro objicitur, si nihili existimatur, negari tamen non potest, ignotum esse, quo Niorfius & Vikingus regulique vicini & extranei animo in se invicem essent adfecti. Fieri enim potuit, ut hi reguli aut in expeditionibus maritimis degerent, aut odio in Niorfium & Vikingum flagrarent, quod utrumque verisimillimum videtur. Quamvis igitur non contendam, hanc narrationem prorsus esse veram, de quo in fine hujus opusculi fusius disserere lubet, tamen facile evinci posse crediderim, eam hac saltem in re nihil contrarii, nihil absurdi continere.

21) Hoc per duo viros, de quibus infra sermo erit, Gautanum & Ogau-

ibi cæde utrinque facta, quattuor tantum filiorum omnium, Jokul & Grimus, Thorsteinus 22) & Thorer supersunt.

Post hanc victoriam, non sine multorum sanguine reportatam, ad patrem, exitus nuntio tristissimum, Jokul revertitur. Vikingus autem, qui infortunium filiorum præsagivisse videtur, filios duo, adhuc vivos, domum curru vexit, ubi in spelunca sub domo occulti, donec cura paterna convaluissent, morabantur. Qvi cum recreatos se putarent, patris prudentissimum, ut juvenum sæpe mos est, consilium negligentes, in lucem prodeunt, quo factum est, ut Jokul, per speculatores 23) certior factus, Thorsteinum Thoreremque adhuc vivos apud patrem habitare, huic bellum clam inferre decerneret. Caterva igitur virorum comparata, ad prædium Vikingi, ad vim vi repellendam jam parati, proficisci-

---

tanum, rerum abstrusarum peritos, & a Jokule hospitio exceptos, effectum esse, in historiola sic refertur. In domo solitaria tres noctes securi dormirent, sub quibus nemo ad eos accederet aut nominatim compellaret. His præterlapsis, ad id, quod vellet, Jokul perveniret. Qvi vero, cum locum refugii cognovisset, quomodo illuc accederet, nesciebat. Ogautanus igitur illi se etiam hac in re consulere pollicetur, dicens, se habere follem ventosum (vedrbelgr), ex quo, cum concutitur, tantum frigoris provenit, ut intra tres noctes lacus congeletur. Qua ope lata, Jokul valde lætatur, & his aliisque comitatus se ad insulam confert.

22) Est quidem volupe videre, quam studiose quamlibet herois res gestas exornandi auctor arripiat occationem. Sic cum eum inexsuperabilem repræsentare nequit, fortunam aut personam mythicam, quæ ope miraculosa periculo eum liberet, inserit. Exempla hujus rei in historiola sæpissime occurrunt. Hac in pugna certando ita fessus dicitur Thorsteinus, ut altero virorum, de quibus supra diximus, Gautano interfecto ipse inter cadavera concideret. Hostes vero, crepusculo jam ingresso, specie decepti, Finni, jam mortui caput, ad quodlibet futurum periculum evitandum, detruncant. Hoc modo Thorsteinus certam mortem effugit.

23) Ogautano soli hoc tribuitur.

tur, ut filios dederet, postulans, ibique res ad pugnam venit, in qua Vikingus senex strenuissime dimicavit. Hinc autem rebus infectis regredi coactus est Jokul. Quoniam vero Vikingus, experientia edoctus, jure timuit, ne Jokul, exitu proximi pugilatus lacessitus, se bello iterum infestaret, si diutius domi morarentur filii, ut ad Halfdanum, amicum antiquum fraternoque fœdere junctum, se conferrent, eis pensuasit. Omnibus igitur viæ difficultatibus enumeratis & periculis, 24) filio Thorsteino, cui omnia

24) Difficultates & pericula, quæ pater refert, quæque filiis, si salvi ad Halfdanum pervenire vellent, superanda erant, duo prædones giganteæ staturæ & roboris, Samus & Fullaflius hujusque canis Garmus, & fissura illa jugi latissima, quæ supra commemoratur, obtulerunt. Quomodo hæc omnia feliciter superaverint, sic narratur. Ad domum Sami, jam absentis, cum pervenirent, januam semiapertam, a Thorere non sine multo labore refractam, deprehendunt. Samus, vespere accedens, fratres probris increpans, in Thorsteinum mox irruit, sed frustra; Thorer enim, lateribus hasta transfossis, eum humi moribundum prostravit. Heic primam noctem degunt posteroque mane iter pergunt. Ad ingentem Fullaflii, etiam absentis, domum vespere pervenientes, januam obseratam vident. Thorere ad eam reserandam summa vi sed frustra adnitente, Thorsteinus aperuit. Præter duo mercium & lignorum acervos, duos in domo lectos insolitæ magnitudinis inveniunt, quorum alter herum alter Garmum reciperent. Igne accenso, gigas prægrandis, ursam dorso bajulans manipulumque avium dextra tenens, ingreditur &, quomodo e manibus fratris elapsi essent, advenas propriis nominibus compellans, quærit? Illo, inquit Thorsteinus, interficiendo. Cum sibi persvasisset, fratrem dormientem dolo non esse correptum, ad cœnam, venatione mensæ apposita, eos invitat, nullamque ex insidiis cædem noctu committere promittit. Itaque noctem in pellibus villosis securi degunt; mane vero singulare idemque acerrimum inter Thorsteinum & Fullaflium, Thorerem & Garmum sub dio committitur prœlium, in quo Thorsteinus, viribus licet longe inferior hostem ope Angurvadilis interfecit. Neque Thorer rem suam minus præclare gessit; quamvis enim suram demorderet canis & non minus dentibus quam cauda ictus adversarii repelleret, tamen gladio transfossus, tandem occidit. Fissuram, ad quam inde perveniunt, jugi Thorsteinus saltu facili transsiliit; Thorer vero, qui

præcipue fausta & celebria ominatus est, annulum aureum, Halfdano ut documentum generis sui tradendum, dedit, Thorerique hastam Jarnhausianam. His ultimoque patris, "valete", (numquam enim filios posthac videbat) muniti, viæ se committunt. Omnibus hujus itineris periculis feliciter superatis, ad Halfdanum, virum antiqui moris & fidei ingeniique gravissimi, perveniunt, ibique, licet primo intuitu haud bene excipiantur, 25) hiemem transigunt. De iis, quæ per hoc temporis spatium agebantur, historia nihil refert. Vere autem incipiente, Thorsteinus navem, nauticis instructam, expeditionem prædatoriam periclitaturus, ab Halfdano petiit, qua accepta, ad oras Norvegiæ meridiem versus cum Thorere proficiscitur. Cum vero duæ naves, viris armisque bonis instructæ, quas pater miserat, obvenirent, ab Halfdano accepta remittebatur. Hac æstate longe lateque prædantes, magna pecunia magnaque laude cumulantur. Tempore auctumnali ad insulam quandam, cui præfuit vir quidam

---

vestigia ejus premeret, ab extrema crepidine decidisset, nisi ille ei venisset auxilio. Ulterius progredientibus, fluvioque lato & violento transnato, procella tam sæva subito erupit (per Ogautanum emissa credebatur), ut vestes congelarent. His vero in flumine emollitis viam ad Vogas pergunt.

25) Est quidem a re haud alienum h. l. commemorare, qua ratione in Halfdani domum, jamjam clausam, introirent. Januam frustra pulsantes, trabemque viginti ulnarum longam supra tectum elevantes, contignationem ita quassabant, ut ruinam minaretur. Domesticis perterritis, Halfdanus tandem exit et, quinam essent, quærens, eis in domum ingredi permittit, nullo fere dato hospitii documento. Fratres igitur, vestibus madidis laborantes, nocte peracta, ad iter pergendum mane se comparant Accedenti autem Halfdano & quosnam se hesterno vespere profiterentur, quærenti, respondent, annulum illi aureum, quem Vikingus miserat, offerentes. Quo ut pignore fraternæ fidei accepto, eos hospitio verborumque facetiis, licet bilinguis a Thorere appellaretur, ad hiemandum apud se invitat. Ex his suspicari liceret, Halfdanum non esse hospitem liberalissimum.

nomine Grimus 26), adveniunt, ibique bene excepti hiemem transigunt. Habuit quidem filiam eamque venustissimam, nomine Thoram, quam Thorer, amore captus, per fratrem ambiit; patre vero abnuente, res more antiquo monomachiæ inter Grimum & Thorsteinum delata est, quæ, cum per tres dies, palma nulli partium cedente, pugnatum esset, dolo 27) filiæ ut alterius Medeæ, ita finiebatur, ut Thorer voto potiretur, et sollennia nuptiarum celebraret. Ex hoc conjugio natus est Haraldus, qui ab hasta (Kesia), hereditate a patre accepta, cognomen kesiæ accepisse dicitur. Patre de quo infra, mortuo, ab avo materno bonis artibus instructus, magnam in posterum sibi laudem comparavit & gloriam.

§. VI.

De Belio, rege Sogniæ, nuptiisque Vikingi.

Præfecturæ Sogniensi præfuit Skatius 28) rex ex genere Gorii, cujus trinepos fuisse dicitur. Liberos duo habuit, filium Belium filiamque Ingeborgem. Ditionem ejus ex improviso invadunt duo piratæ, Gautanus & Ogautanus, quibuscum licet imparato & jam perseni sibi potius acie dimicandum duxit, quam notam turpitudinis subeundam; *salutem enim dedecore mercari virtus*

---

26) Insula, quæ h. l. refertur, ad litora Norvegiæ sita fuisse videtur, licet Schöning l. c. p. 92 in Jotunhemia eam quærendam putet; nomen enim Grimi in historia Norvegica pluries occurrit, notumque est, antiquos sedi, quam incoluere, nomen suum sæpe dedisse; id quod multis exemplis illustrari potest.

27) Per eam scilicet cognovisse fertur, gemmam inesse galeæ patris, quæ effecit, ut vinci non posset. Quo cognito gemmaque erepta, Grimum humi facile prostravit. Hinc collegit pater, filiam nubere velle.

28) Hic Skatius tam munificus describitur, ut quemlibet regem liberalem poëtæ veteres in honorem ejus Skate adpellarent, ipsumque regem munificentissimum (Konga orvastur). Cfr Eigil Skallegrim, Hufudlaugnar. -- Visar.

ignorat 29). Quo igitur in pugna gloriosam oppetente mortem, regnum Ogautanus occupavit titulumque regium. Belio per liminarcham patris, Thorgrimum, fugam capessentem, conservato, sororem, domi relictam, Ogautanus ambiit, repulsam, quippe qui patrem ejus occidisset, diabuloque quam homini esset similior, ferens; qua contumelia graviter commotus, pœna gravissima eam affecisse dicitur 30). Paullo vero post Belius, domum noctu reveniens, ædes, in quibus Ogautanus & Gautanus dormiebant, omnesque, his duobus exceptis, qui ad Jokulem confugiebant, quotquot inerant, incendio cremavit, sedesque paternas recuperavit. A Jokule aurum accepisse dicitur, ut filios Vikingi, quorum alter domi apud socerum morabatur, alter in expeditione maritima degit, interficeret. Exitum hujus conjurationis mox videbimus.

Accidit aliquando ut, fratrem revisurus Thorsteinus, tempestate opera, ut fertur, Ogautani surgente, naveque submersa, se in undas præcipitaret &, natando vitam conservaturus, in extremum vitæ discrimen incideret, ex quo auxilio feminæ cujusdam pessima forma liberatus perhibetur 31). Hoc periculo feliciter superato, ad fratrem venit, apud quem hibernare decrevit. Tempore verno patrem visitaturi filii, a Jokule & Grimo cum XXX viris de improviso soli appetuntur, in quo conflictu Thorer, qui hastam 32) domi reliquisset, mortem occubuit, Thorstei-

---

29) Saxo Gr. 1: 8.

30) Secundum fabulam hæc pœna in eo versabatur, ut figura non deformis solum sed fœdissimæ etiam Skellinefiæ, sororis Ogautani, indueretur, & ab hac specie, Ogautano vivo, & donec vir nobilis eam uxorem ducere vellet, premeretur. Antrum quoque Skellinefiæ ad fluvium altum, (Djupamodam) habitaret.

31) Ingeborgis scil., quam dum demergeretur, ut anum maxime deformem pallio scorteo, ante prolixiori, pone breviori, indutam ad se adgredientem vidit. Ex fluctibus ereptus, an sibi vitam debere suoque arbitrio mercedem tradere vellet, quærenti, adnuisse perhibetur.

32) Armorum veterum duo genera, ad nocendum & tagendum, in histo-